

manus sibi violentas intulerunt, infelicem practicarum suarum exitum cum viderunt, historię cum sacrę, tum profanę factis superque testantur. Deum igitur timeamus, & ne nos in tē-tationem inducat, assiduē eum rogemus: Amen.

C O N C I O X.

DE TRAGICO IUDÆ PRODITORIS EXITU,

ex Matth. 27. à v. I. ad v. II.

ARgumentum horum verborum duplex est:

1. Describitur consultatio sacerdotum, & seniorum in necem Christi.

2. Exitus Iudæ proditoris inferitur.

De priore parte iam ante habuimus, & habebimus in accusatione coram Pilato plura. Omissa igitur illa particula, quæ ab ipso etiam Euangelista, initio capitis huius, quasi trāsitionis loco præposita est: de posteriore tantum nunc agere nostrum est propositum.

Itaque de Iuda, eius pœnitentia, & tragico exitu, ordine ista narrantur:

1. Quomodo conscientia ipsius, lethargo peccatorū hæcenus quasi sopita, tandem excitata fit, & euigilauerit, vt quale facinus in prodicione Domini sui, cōmisisset, secum reputauerit.

2. Quomodo peccatū suū (territus magnitudine, & grauitate illius) agnouerit, idq; publica confessione testatum fecerit.

3. Pœnitentia eius, & quomodo eam declarauerit, sequitur.

Ad declarationē pœnitentię pertinet vel in primis eius cōfessio. Declarauit. n. pœnitentiā suam, 1. Verbis; dicens: *Peccaui, prodito sanguine innoxio.* 2. Factis tribus, videl. 1. Redditiōe triginta argenteorum, quos iam ipsum pœnitebat accepisse, & pro tā vili, & sordido precio tantū, & tā inæstimabile bonū tradidisse. 2. Abiectione eorundē, ad pedes principū sacerdotū, & seniorum. 3. Strāgulatione sui ipsius. Initia quidem pœnitentię non fuerunt mala, at extremum illius longe fuit pessimum.

Inferitur huic narrationi, quomodo ad hæc se gesserint sacer-